

12 1753,4
ORDINIS IVRIDICI DECANVS
GEORGIVS LVDOVICVS
BOEHMER D.

CONSILIARIVS REGIVS AVLICVS ET ANTECESSOR

CANDIDATI PRAENOBILISSIMI
AVGVSTI EVGENII BERNARDI FRANCISCI

BODIFE

BONNENSIS

SOLENNIA IN AVGVRALIA

INDICIT

PRAEMISSA OBSERVATIONE


DE

ARCHIEPISCOPIS COLONIENSIBVS
ARCHICANCELLARIIS PER GERMANIAM
SVB OTTONE M.

GOTTINGAE

PRELO GEORG. LVDOV. SCHVLTZII, ACAD. A TYPIS.

MDCCLIII.



ORDINIS FRANCICAE DECIMAE
GEORGIAE TANACIAS
HONORABILIS
CENSUS
CONVENTUS
VATICANICUS
LONDINI

ARMENIENS COVINCIA
ARMENIENS COVINCIA
ARMENIENS COVINCIA

COVINCIA

ARMENIENS COVINCIA



§. I.

BRVNONEM, Coloniensem Archiepiscopum, *Italiae archicancellarium* sub Ottone M. fuisse, existimauit *Carolus Sigonius de regno Italiae Lib. VII. p. 176.* Eamdem sententiam alii amplexi, nouam coniecturam proposuerunt, illud archiofficium eo tempore lege perpetua datum esse Coloniensi. Cum Sigonius idoneum opinionis suae testimonium non dedit, tum inductus est in errorem, quando Brunonem *Italiae Cancellarium* habuit, qui ea sublimi dignitate in *Germaniae cancellis* functus est. Quod ut appareat, de archiepiscopis Coloniensibus Germaniae archicancellariis sub Ottone M. quae-dam exponere, institutum est.

§. II.

Victo Berengario Rege eoque captiuo in Germaniam deducto, Italiam ab Ottone M. recuperata, regni Italiae coronam ab eo Mediolani a. 961.

22 et



et imperii coronam ab eodem Romæ anno 962. suscepit, indeque Italiae regnum cum Imperio Germanico unitum esse, testatissimum est. Solenne iam olim fuit Italiae regibus, cancellis regni praeficere Episcopum Archicancellarium. Eundem morem sectatus Otto M. archicancellariatus Italici et Germanici separatas seruauit rationes, ita quidem, ut quae ad res Italicas pertinerent, in scrinîs Italiae, dum ibidem versabatur, expedienda curauerit, iisdem ceteroquin in Germaniae cancellis expeditis, dum in Germania commorabatur. Ex Italiae archicancellariis, qui sub Ottone M. inclaruerunt, duos nominare pro instituti ratione iuuabit, *Vidonem*, Mutinensem episcopum et *Hubertum*, Episcopum Parmensem. *Vido* inde ab anno recuperati regni Italiae primo, videlicet ab a. 962. archicancellariatum Italiae administravit, prout diplomata Ottonis ab eodem inde ab a. 962. vsque ad a. 969. signata testantur. a) *Vidonis* praecipuam apud Ottonem auctoritatem fuisse, vel ex eo intelligitur, quod Imperator eum in diplomate, pro ecclesia Mutinensi a. 962. dato, b) et ab ipso Vidone ceu archicancellario recognito, *dilectum suum fidelem et summum regnorum suorum*

a) Vid. diplomata Ottonis M. de a. 962. apud FERD. VGHELLVM in Ital. Saer. tom. IV. edit. Colet. p. 698. & aliud tom. V. p. 176. dipl. dea. 963. ibid. tom. II. p. 305. et tom. V. p. 148. dipl. de a. 964. ibid. tom. V. p. 432.

b) apud VGHELLVM l. c. tom. II. p. 305.

rum consiliarium appellat. Post Vidonis obitum archicancellariatus Italiae a. 969. obuenit Huberto. Hunc venerabilem S. Parmensis ecclesiae Episcopum et archicancellarium nostrum vocat Otto M. in diploma de a. 969. c) Idem diploma aequa ac alia multa Hubertus, ceu archicancellarius, recognouit. Si itaque Italiae archicancellariatus sub Ottone M. inde a primo imperii anno penes Italiae Episcopos fuit: archicancellarium, quem obierunt Archipraesules Colonienses ad Italiam non pertinuisse, vel ex eo euidenter intelligitur.

§. III.

Inter Germaniae archicancellarios sub Ottone M. duo celebrantur Archiepiscopi Colonienses, *Wigfridus et Bruno.* WIGFRIDI memoriam renovare iuuabit, quem nec *Mallinckrotius* nec *Praeful Gotwicensis* in archicancellariorum numero recensent. HERIMANNO in sede Coloniensi a. 923. successit, a) praeful vel eo nomine in annalibus celebratus, quod consecrationem Ottonis M. Aquisgrani faciendam permiserit Hildeberto Moguntino Archiepiscopo, quae ex iure dioecesano ad eum pertinere agnosce-

a 3 ba-

a) apud VGHELLVM l. s. tom. II. p. 158.

a) Annalisti Saxo Eccardinus ad a. 923. Hermannus Coloniensis Archiepiscopus obiit. Wigfridus successor.



batur. b) *Wigfridum in Ottonis palatio archicancellarii officio functum esse, testantur bina diplomata Ottoniana eodem anno 950. eodemque loco data.* Alterum datum est pro ecclesia *Traiectina*, c) ecclesia tum suffraganea sedis Coloniensis, cuius subscriptio est: *Brun Cancellarius ad vicem WIGFRIDI archicappellani recognoui. Dat. XII Kal. Maii anno Dominicæ incarnationis DCCCCL indicione VII. Anno vero Regni Ottonis XV. d) Actum Quindelingeburg.* Alterum est pro monasterio *Angariensi*, a Mathilde Ottonis M. matre in dioecesi Osnabrugensi fundato, cuius subscriptio est: e) *Brun Cancellarius ad vicem WICFRIDI archicappellani recognoui. Dat. XVII. Cal. Maii, anno dominicae incarnat. DCCCCL. indicl. VII. anno vero Ottonis inuicissimi regis XIII, Actum Quitilingehorch.*

§. IV.

Illud omnino singulare est, (i) **WIGFRIDVM** Coloniensem inter quatuor Germaniae archicancel-

la-

i) **WITICHINDVS** *Annel. lib. II. pr. apud Meibomium tom. I. p. 642.*

c) *Quod exhibet WILHELMVS HEDA in bistor. Episcop. Vlerajettin. p. 86.*

d) In numerandis annis regni Ottonis error irrepsit: est enim *annus XIV.* computatione secundum numerum annorum post electionem Ottonis generatim inita. In curatori computatione, quia non veteres non semper sequi sunt, anno XIV. desunt aliquot menses, si anni regni a mense luniti anni 936. quo electus est Otto, numerantur et adhuc currit *annus XIII.*

e) *Diploma edidit IO. FRIDER. FALCKE in Cod. Tradit. Corbeiens. in adiunct. monument. N. XIII. p. 747.*

larios eodem anno DCCCCL. gessisse archiofficium, videlicet inter FRIDERICVM a) Moguntinum, RVTBERTVM b) Treuirensim, HEROLDVM c) Salisburgensem Archiepiscopos; deinde II.) omnium illorum vicem in subscriptione diplomatum subiisse imperatoris fratrem, Brunonem, Cancellarium, post archiepiscopum Colonensem, argumento certissimo, Germaniae cancellis illos omnes eodem tempore praefuisse. Ex diplomatum isto anno datorum subscriptionibus, quas in margine recensimus, apparet, eosdem archicancellariatus sui hos terminos seruasse, ut negotiorum ad metropolim pertinentium

prae-

a) Fridericus subscriptis donationi Ottonis M. super praedio apud KEITNERVM in antiquis. Quedlinb. n. VIII. p. 8. quam ex autographo repetit Dn. DAN. EVERH. BARING. in clavi dipl. p. 21. ibi. Brun Cancellarius ad vicem FRIDERICI Archicappellani recognoui. Data VII. Cal. Oct. A. incarnationis Domini nostri Iesu Christi DCCCCL. ind. VII. Anno vero regni Demini Ottonis insuetissimi regis XIV. Actum Quotilinaburc.

b) Vid. diploma Ottonianum pro monasterio S. Maximini apud Ed. Martino in collect. ampliss. tom. II. p. 292. cui subscriptis RVTBERTVS Archiepiscopus Treuirensis ibi: Brun Cancellarius Ad vicem RVTBERTI archicappellani recognovisi. Data III. Kal. Mart. A. incarnationis Demini nostri Iesu Christi DCCCCL. ind. VII. Anno vero Ottonis Serenissimi regis XIII. Actum in Norimbergensi civitate.

c) Diplomati Ottoni pro Monasterio Emmeramensi subscriptis Herolts, Salisburgensis archiepiscopus, apud Gewoldum in Hundii metrop. Salib. tem. I p. 152. cuius formula est: Brun Cancellarius ad vicem HEROL. TI archicappellani recognoui. Data XVII. Cal. Aug. Anno Domini DCCCCL. ind. VII. regnante serenissimo rege Ottone anno XV. Actum Beheim subburgo Naumburg.



praecipuam curam subiret Metropolitanus, et *Wigfridus* res ad prouinciam suam ecclesiasticam spectantes curauerit, vti *Treuirensis* in causa Monasterii S. Maximini, *Salisburgen sis* in causa monasterii Emmeramensis, et Moguntinus in donatione loci, prope Merseburgum siti officium praefiterunt. Hoc exemplo comprobatur sententia ab aliis iam defensa, a) plures subinde isto aevo archicancellariatum eodem tempore obiisse, instar plurium eiusdem Imperantis *administrorum*. Quatuor illi archipraesules officio *archicappellani* apud Ottонem fungebantur: quod cum proprie in tractandis causis ecclesiasticis ad Regem delatis consistebat, tum in iisdem non minus expediendis sec. X. versabatur, indeque iam eo aevo archicappellanus *summi Cancellarii* officio functus, et vtriusque appellatio promiscue usurpata est. Ex quo et illud intelligitur, quare ex pluribus archicancellariis vel is, ad cuius *provinciam ecclesiasticam* res agendaे pertinebant, quod tamen non perpetuo observatum est, vel is, qui *comes imperatori* adhaerebat, curam expediendorum negotiorum subierit. Aliam viam in tollenda difficultate, quam parit plurium archicancellariatus, ingreditur Praeful Gotwicensis. e) Omissio *Wigfrido*, binos tantum

a) vid. ill. 10. Iaz. *Mascurius de orig. offic. anlic.* §. VII.
e) in *prodrromo Chronici Gorwicensis tom. II. p. 181.*

tum archicancellarios eodem tempore officium ges-
 sisse obseruat, *Fridericum* videlicet et *Rutbertum*, et
 alio tempore rursus eundem *Fridericum* et *Heroldum*;
 alterum alteri *substitutum* esse existimans occasione
 turbarum, quae opprimebant *Fridericum*, conspi-
 rationis erga Ottонem reum, et per aliquot annos
 a sede Moguntina exulem. Sed diplomatum antea
 excitatorum auctoritate euincitur, quatuor eodem
 tempore archipraesules archicancellariatum obiisse.
 Deinde obseruandum, *Fridericum* Moguntinum
 anno 950. dudum in gratiam Imperatoris rediisse,
 siquidem iam a. 946 f) sedi suae restitutus munus
 archicappellani gessit vsque ad a. 954. quo fatis
 cessit: vt adeo appareat, plurium archicancellaria-
 tum ita conciliari non posse, vt alter alteri substitu-
 tus esse censeatur.

S. V.

Mortuo Agrippinae sedis provisore *Wigfrido*,
 Ottонем M. episcopatum illius a. 953. Brunoni fra-
 tri suo dedisse, memorat *Ditmarus* a). Prius quam
 infulis archiepiscopalibus distinctus erat BR VNO,
 Henrici Aucupis filius et Ottonis M. frater, in palatio
 Fratris non modo cancellarii sed et archicappellani offi-
 ci-

f) Vid. NIC. SERARIUS *rer. Mogunt.* I, IV. sub *Friderico* apud IOAN.

NEM tom. I. p. 428.

a) lib. II. apud *Leibnitium* tom. I. script. Brunj. p. 335.



cium gessit. Auctor vitae Mathildis reginae cap. II. b). Cum autem Bruno proiecisset actate et sapientia, Rex adiunxit eum sibi per amorem fraternitatis in ministerium Archicappellani. Interim moritur Wigfridus, vir venerandus, qui archiepiscopalem Coloniae sedem possedit, et munere superni dispositoris Brunoni cessit Episcopalis honor dignitatis. Itaque prius, quam archiepiscopus, archicappellanus fuit. Exempla sunt in diplomate de a. 940. pro abbatia Fuldensi c), quod Hoholt Cancellarius ad vicem Brunonis archicappellani recognouit, in diplomate de a. 951. pro ecclesia Wormatiensi eadem formula subscripto, d) et in altero diplomate de a. 952. e) quod Luitolfus cancellarius ad vicem Brunonis archicappellani recognouit. En quintum archicappellanum, nondum archiepiscopum, eodem anno 950. quo quatuor archicappellanos recensuimus, hoc officio in aula Ottonis defungentem. Ceterum quamquam ante adeptum archiepiscopatum nonnulla ceu archicappellanus regius in cancellis expedierit: eo tamen tempore ordinarium tantum Cancellarii munus gessit, testantibus tot diplomatum ipso Cancellario saltim ab a. 941. f) vsque ad annum suscep-

IIIU-

b) apud LEIBNITIVM l. c. tom. I. p. 197.

c) apud I. F. SCHANNATVM in hist. Fuldensi Cod. Probl. n. 31. p. 146.

d) apud SCHANNATVM in hist. Episcop. Wormat. Cod. prob. n. XXI. p. 19,

e) ibid. n. XXII. p. 20.

pti archiepiscopatus 953.g) expeditorum subscriptionibus. Itaque Brunonis exemplo probatur, I) *Cancellarium*, subinde *archicappellani* functionem in aula regia subiisse; eique II) quando negotia ecclesiastica tractabat, hunc honorem habitum esse, qui haberi *archicancellariis* solebat, ut vice ipsius, ceu *archicapellani*, aliis diplomata subnotaret; denique III. supremam expediendorum in cancellis Imperatoris diplomatum curam ad *archicappellanos* pertinuisse, qui inde promiscue *archicancellarii* dicti sunt, prout is titulus Brunoni, ceu *archicapellano*, eo tempore, quo ordinario adhuc cancellarii munere fungebatur, anno 944. tribuitur in *diplomate Ottonis pro ecclesia Leodiensi de a. 944.* b) quod *Eimo notarius ad vicem Brunonis archicancellarii recognouit.*

§. VI.

Bruno tandem fratri beneficio ad dignitatem *Archiepiscopalem* uestitus, deposito cancellariatu, *archicapellani* et cum eo officio connexi *archicancellarii* partibus per reliquum vitae tempus ab a. 953. vsque

B 2 ad

f) vid. dipl. Ottonis de a. 941. pro ecclesia Magdeburgensi in *LVNIGII spicileg. eccl. Part. I. Fortez. anh. tom. XVI.* p. 4.

g) vid. dipl. Ottonis dat. XI. *Cal. Mai a. 953.* in *WILHELMI HEDAE histor. Ultriae* p. 87.

h) Hoc exhibet *ANSELMVS in gestis pontificum Traiectensium cap. 44.* editus a IO. de CHAPEAVILLE in *gest. pontif. Tungrens.* tom. I. p. 176.



ad a. 965. tanta auctoritate gessit, quantam a Fratre imperatoris, ita ab hoc dilecto, vt ei singulari omnino exemplo totius Regni Lothariensis administrationem et tutelam commiserit, a) et ab Archiepiscopo archicappellano, et archicancellario expectare licet. Summum, post Ottonem, penes Brunonem regni principatum fuisse, refertur in charta Sigfridi comitis de a. 963. a viro reu. Io. Nic. ab Hontheim edita b) Perrexit ad dominum Brunonem archiepiscopum, fratrem videlicet Imperatoris Ottonis, qui tunc principatum totius regni post ipsum tenebat, eique suum desiderium manifestauit. Archicancellariatum administravit per Germaniam, testantibus innumeris diplomatisbus, ad res Germanicas pertinentibus, et in *Cancellis Germaniae* recognitis. c) Italiae archicancellariatum non gessit: namque Italiae regnum demum a. 961. quo iam per nouem annos Germaniae archicancellarius fuerat, cum Imperio Germanico vnitum est; et per reliquos quatuor annos, quibus vixit Bruno, Vido, Mutinensis Episcopus, archicancellariatu Italiae gausus est. Id modo obseruamus, primo anno imperii Ottonis M. et antequam Imperator res et scrinia Italica ordinasset, Brunonem, ceu Germaniae Archicancellarium, et cum Imperatore in

a) Conf. *Origines Guelphae* a Viro Illustri CHRIST. LUDOV. SCHEIDIO editae tom. IV. vbi vita Brunonis succincte recensetur in *notis* B. IO. DAN. GRVBERI p. 447.

b) in *histor. diplom. Treverens.* tom. I. p. 295.

c) Ottoniana diplomata a Brunone recognita recensentur in *Prodromo Chronici*

in expeditione Italica occupatum, quaedam dip'oma recognouisse mense Februario et Martio anni 962: data *d*). Sed ordinatis mox Italiae cancellis, Vidonem iisdem praefectum eodem adhuc anno functiones archicancellariatus suscepisse, exemplis diplomatum, supra §. 11. excitatorum, euincitur. Ceterum nec Bruno solus in Germaniae cancellis regnauit. Ab anno 954. Archiepiscopatu Moguntino et Germaniae cancellis simul praefuit Wilhelmus, Ottonis M. ex nobili Slava ante matrimonium susceptus filius. *e*) Sed rarac sunt Chartae, in quibus Wilhelmi mentio fit: maior copia est earum, quae Brunonem p[re]se ferunt subscriptorem, ut hunc magis assiduum et fere perpetuum in cancellis fuisse colligere liceat. Quinam inter vtrumque archicancellariatus limites seruati sint, definitu difficile est. Hos quidem pro negotiorum ratione et indeole constitutos fuisse non apparet, et magis verisimile est, eum, qui proximior lateri regio adhaerebat, expediendis et recognoscendis chartis operam adhibuisse. *f*) Sane diplomatum exemplis non pro-

ei Gotwicensis tom. I. p. 182. Multa praeterea exhibentur a CALMETO in his[tor]i. Lothar. tom. I. p. 367. 372. et seq. a MEIBOMI Q. tom. I. p. 744. et seq. a SAGITTARIO antiquit. Magdeb. §. 72. 73. 79. 80. 86. et seq. in *Originalis Guelphi* tom. IV. p. 192. et p. 558. et seq.

d) Diploma Ottonis pro eccl[esi]a Virodunensi datum Rupiae d. XII. Kal. Febr. a. 962 & vice Brunonis archicancellarii recognitum, exhibet AVGUSTIN CALMET his[tor]. l' Lorraine tom. I. cod. prob. p. 161. Diploma Ottonis pro eccl[esi]a Parmensis eodem anno addit. Kal. Mart. Brunonis nomine recognitum habet FERD. VGHETI LVS ital. sacr. tom. II. p. 158.

e) Origine Guelphi tom. IV. sib[il]e de B. GRABERVS in not. p. 463.

f) Ita cert. ut Praefut Gotwicensis in Prodomb. Chronicis tom. I. p. 182.



batur eorum coniectura, qui Wilhelmi tantum in sua prouincia mentionem fieri, et extra hunc casum solum Brunonem cancellis praefuisse existimant, cum extent diplomata a Wilhelmo extra prouinciam et in causis ad aliam prouinciam pertinentibus recognita ^{g)}.

Progredior ad illud, quod instituti ratio et scribendi officium exigit. Significandi sunt honores

CANDIDATI PRAENOBILISSIMI
AVGVSTI EVGENII BERNARDI
FRANCISCI BODIFE
BONNENSIS

de cuius vita studiisque laudatissime actis ipsum differenter audire iuvabit.

Natus sum Bonnae die 12. Maii anni post N. C. 1730. Patre BERTRAMO BODIFE Serenissimi Electoris Colonensis Consiliario Aulico, Matre MARIA ELISABETHA WÜESTEN Filia ADAMI WÜESTEN Serenissimi Electoris Colonensis Consiliarii Cameræ, morte iam iam defuncti. Charissimorum horum parentum meorum maxima cura fuit, ut Religionis, pietasque et litterarum humaniorum solidioribus principiis imbuerer. Inde mihi ab initio praeceptores domestici dati sunt; postea per quinquennium Gymnasium Clementinum Reuerendorum Patrum S. I. quod Bonnae est, sedulo frequentavi, quorum ex disciplina multos quotidie fructus percepi, quibus principiis ad altiora præparatus vniuersam philosophiam itidem apud Reue-
rendos Patres S. I. per biennium audiui, ac quidem sub Reue-

ren-

^{g)} Recognita sunt a Wilhelmo diplomata Ottonis pro monast. St. Maximin. de a. 956. apud Dn. de GVDENVS in Cod. dipl. tom. II. p. 4. et alia de a. 962. apud HONTHEMIVM in hisf. Treuir. tom. I. p. 292. et de a. 963. ibid. p. 298. et 299.

rendis ac Doctissimis Patribus FRANCISCO HEIKERMANI^{LA}
 COBO DÜNTZER, quorum sub moderamine laetissime respondi
 ac tandem euoluto biennio yniuersam philosophiam defendi.
 Iam Studium Iuridicum adgressus prima eius fundamenta scilicet
 Institutiones praeunte praenobilissimo ac doctissimo Domino
 IOANNE PETRO SCHEFFER Iurium Professore Electorali,
 quoque Bonnae posui. Anno 1749. Bonnam reliqui, et in
 aliam ac antiquissimam Heydelbergam me contuli, ibique a Re-
 store tum temporis Magnifico Viro Perillustri ac Generosissimo
 de OBERKAMP in numerum Ciuium Academicorum receptus
 sum. Doctores praestantissimos ibi habui in Iure Canonic
 Reverendum patrem RÜDEL e S. I. in Iuris Civilis Theoria Il-
 lustrem FRANCISCVM ALEF, in Iure publico exc. WED-
 KIN DV, in praxi Iuris ducem habui exc. JOSEPHVM ALEF,
 qui et principia Iuris feudalis mihi tradidit. His accessit exc.
 DAHMEN, qui mihi Institutiones Iustinianae explicauit. Quorum
 Illustrium praestantissimumque virorum in me humanitatem
 atque benevolentiam semper grato pioque animo prosequar. Per
 tres annos hae scientiae in celeberrima Heydelbergensi curas meas
 occuparunt, cum fama summorum virorum, quibus Academia
 haec Gottingensis superbit, Charissimum patrem meum commo-
 vit, ut me in hanc Georgiam Augustam mitteret ad literarum stu-
 dia vterius prosequenda. Advenam me ciuitate donavit exc.
 RICHTERVS, qui tunc temporis fasces Academicas tenebat. Occa-
 sioni non defui, quae le hic mihi frequens obtulit, omnium in
 quibus erudiri cupiebam scientiarum principia addiscendi. Iu-
 ris publici Romano Germanici principia mihi explicavit illustris
 et ob huius scientiae cognitionem Celeberrimus SCHMAVSIUS Illu-
 stris AYRERVS in arte disputandi mihi faces praetulit. In pan-
 dendit Doctorem veneror Illustrem ac excellentissimum BOEHME-
 RVM praeceptorem meum omni pietatis cultu ad cineres pro-
 quendum, in Iure Germanico et Feudali exc. RICCIVM syndicum
 Academiae huius meritissimum, in Historia S. R. I. exc. PÜTTE-
 RVN, qui et rem Iudiciariam summorum Imperii Tribunalium

vt



vt et Stilum Cancellariae me docuit. Ius Naturae praeceunte exc.
ACHENWALLIO didici. Böhmeri doctrinam de actionibus mihi
explicavit exc. BECMANVS senior cuius frater praestantissimus
Iunior Ius Criminale mihi Cognitum fecit. Hisce omnibus hic
peractis ab Illustri Iuris Consultorum Ordine omni qua par est, obser-
uantia petii, ut mihi summos in vtroque Iure honores conferret.

Nec defuit Ordo noster desiderio honestissimo: si-
quidem egregios iurisprudentiae studiorumque pro-
fectus non minus in examine solenni quam docta
textuum iuris vtriusque explicatione ita nobis pro-
bavit, vt vnamimia ordinis suffragia ferret. Iam
in eo est, vt reliqua praestet, lectionem cursoriam ad
L. 8. C. de iudicis nec non dissertationem inaugura-
lem de origine iurium praecipuorum Archiepiscopi et S.
R. I. Electoris Coloniensis me praeside futuro die XVII.
Augusti habiturus: quibus peractis Praenobilissimo
Candidato decreti honores praescitu et assensu SPLEN-
DIDISSIMI ACADEMIAE CANCELLARII a me con-
ferentur. Istos autem actus ut MAGNIFICVS ACA-
DEMIAE PRORECTOR CVM SENATV, ILLVSTRISSIMI
COMITES, ILLVSTRES GENEROSISSIMI NOBILISSIMIQUE
CIVES HOSPITES COMMILITONES praesentia sua con-
decorare haud grauentur, obseruanter diligenter-
que rogo atque contendo. P. P. in Georgia Au-
gusta a. d. XVI. Aug. clo 5 cc lll.




P. 371

Göttingen, Diss., 1753 A-C



VD 78





ORDINIS IVRIDICI DECANVS

GEORGIVS LVDOVICVS
BOEHMER D.

CONSILIARIUS REGIVS AVLICVS ET ANTECESSOR

CANDIDATI PRAENOBILISSIMI
AVGVSTI EVGENII BERNARDI FRANCISCI
B O D I F E

BODIFEE

BONNENSIS

SOLENNIA IN AVGVRALIA

INDICIT

PRAEMISSA OBSERVATIONE

D E

*ARCHIEPISCOPI COLONIENSIBVS
ARCHICANCELLARIIS PER GERMANIAM
SVB OTTONE M.*



GOTTINGAE

PRELO GEORG. LUDOV. SCHVLTZII, ACAD. A TYPIS.

M D C C L I I I

